

tribuimus studium historicum I. ob memoriam præteritorum
eventuum, quæ est tertia ex causis principalibus remotioribus
II. Ob causam proximam, experienciã scilicet & usum, quæ in a-
lijs obtinet vicem propriæ, ut quod ipsi non sumus experti, id
alios expertos esse sciamus *Keck. d. l. p. 37. q. 5.*

Quæstio III.

Prudentia ad Reipub. administrationem
an suadeat fœminas, an viros?


Quæstio hæc in utramq; partem est disputabilis, sunt enim
ab omni parte rationes non contemnendæ, quas eleganter re-
centent *Iunius in quæst. pol. part. 5. q. 13. p. 74. & Timpl. lib. 2. pol. c. 2. q. 9*
p. 148. Nos autem brevitatis causa dicimus tam fœminis quam
viris imperium esse committendum, sed his primario l. quia
naturæ lege magis ad imperandum sunt apti, quàm fœminæ, nisi
fortè à natura ipsa defecerint *Arist. lib. 1. polit. c. 8. Bodin. lib. 6.*
de repub. cap. 5. fœminæ enim sunt imbecilliores & inconstantio-
res secundum illud *Propertii lib. 11. Elig.*

— Nulla diu fœmina pondus habet

2. quia taciturnitati magis sunt dediti, quam fœminæ, Qui enim
fœminæ aliquid committit, idem facit ac si in foro denunciaret
voce præconum omnib. *Antiphan. apud Stob. serm. 72.* Fœminis
autem secundario, nam quemadmodum masculus ad Reipub. ad-
ministrationem est admittendus, si sit idoneus, ita fœmina in
causa necessitatis, si idonea, & similis Deoboræ qui magna cum
laude populum Iudaicum rexit *Iud. c. 4.* Semiramidi, quæ ob
formam & prudentiam bellicam à Nino, Assyriorum Rege ducta,
mortuo illo Babylonem urbem condidit: universam Asiam præ-
ter indos subegit, quadraginta duos annos regnavit *Diodor. Siculus*
lib. 2. rer. antiq. c. 5. p. 50. & seq. Zarinæ Sacarum Reginae ad quam
Parthi à Medis defecerunt, quæ barbaras gentes plurimas suam
in potestatem redegit & urbes multas condidit, plura qui cupit
de hac quæstione inveniet *apud Casum in Sphæra Civitat. lib. 1.*

6.3. p. 23. Iunium. d. l. Lipsium in politicis lib. 2. cap. 3 p.

39. Giphon. d. l. polit. Ioan. Gerbard in
quæst. pol. dec. 2. quæst. 4.



Coll. di. ss. A. 28, misc. 51